

quandiu curaverint, ut hanc regulam observent; et quo major erit eorum numerus, eo major in eos mea videbitur providentia. » Quod sane divinum promissum mirabiliter adimpleri continua experientia in omnibus quatuor mundi partibus clare cernitur; cum non obstante, quod Religio sancti Francisci adeo creverit, ut teste Ludovico Granatensi can. 2. de S. P. Francisco, numero provinciarum, monasteriorum, et fratrum superet omnes religiones, et ordines simul sumptos, quod idem Hieronymus Plati S. I. lib. II. c. xxii et xxiv, de Propagand. relig. et alii testantur, veritate in facto testimonium perhibente.

49. *Religionis seraphicæ origo et initium.* — Incepit autem religio sancti Francisci 1208, existente tunc Innocentio III, qui eandem solo tamen vivæ vocis oraculo confirmavit 1210. Et iterum in concilio generali Lateranensi 1215, ubi coram bis mille ducentis, et duodecim episcopis, et patribus ex universo orbe christiano congregatis publice pronuntiari fecit, ordinem minorum sancti Francisci a se jam prius fuisse approbatum. Verum quia nec in isto concilio generali scriptum diploma confirmationis facta fuit emanatum; hinc successor Honorius III, 1223, per specialem bullam *Solet annuere* apud Cherub. tom. I, constitutione 5, dicti Pontificis, dictam sancti Francisci religionem, ejusque regulam a Christo immediate dictatam in duodecim capitulis consistentem confirmavit.

50. *Franciscani observantes, recolli, reformati, et discalceati sub una regula, et sub eodem vivunt generali. Reformati purius observant regulam quam observantes.* — Sub hac igitur sancti Francisci religione ejusque sanctissima divinitus tradita regula militant in primis fratres minores Franciscani illi, qui dictam Regulam ad litteram observant, quorum alii vocantur *Observantes*, scilicet regulam. Alii præcipue in Gallia, et Belgio vocantur *Recolli*: alii præsertim in Italia, ac Germania *Reformati*: alii *Discalceati*, non quasi diversam habeant regulam, diversique sub generalibus diversa, ac perfecte distincta constituerent corpora (omnes siquidem sub uno eodemque existunt generali, et unam, eandemque regulam ad litteram observant) sed ideo, quia sub variis mediis et statutis particularibus magis, et minus strictis accidentaliter solummodo diversis regulam suam pure observare nituntur. Unde omnes et singuli vocantur communiter *Franciscani* a

sancto Francisco secundo fundatore suo (primus enim Christus est) item, et quidem ordinarie « Fratres minores regularis observantiae » a pura, omnisque dispensationi experte observatione regulæ: quamvis re collecti, reformati, ac discalceati cum additis strictioribus, adeoque « Fratres minores strictiores observantiae: » Reliqui absolute Fratres minores regulares observantiae » nuncupentur; eo, quod illi strictioribus mediis et statutis, quam isti regulam eandem observare conentur: prout liquet ex verbis bullæ *Ex injuncto nobis* a Clemente VIII. motu proprio editæ ibi: « Motu proprio, ex certa scientia, ac apostolicæ potestatis plenitudine, harum serie decernimus ac declaramus, quod fratres reformati non novam, sed eandem Francisci regulam, quam felicis recordationis Honorius Papa III, prædecessor noster confirmavit, quamque etiam fratres nuncupati ordinis minorum de observantia observant; licet ipsi reformati purius, et juxta ipsius regulæ litteram declaratam per recolendæ memoriæ Nicolaum III, et Clementem V, Romanos Pontifices prædecessores nostros observent. »

51. *Generalis franciscanorum solus utitur sigillo totius ordinis, solusque dicitur generalis totius ordinis sancti Francisci.* — Horum Franciscanorum, seu fratrum minorum regularis, et strictæ observantiae unus idemque generalis solus serie non interrupta a sancto Francisco in generalatu succedit, solus sigillo totius ordinis utitur solusque nominare se potest et nominat « Generalem totius ordinis sancti Francisci, » Leone X. id per specialem bullam definiente.

52. *Capucinatorum origo; controversia inter capucinos et franciscanos de caputio est subblata.* — Sub eadem sancti Francisci regula militant, eamque ad litteram observant, indeque veri filii sancti Francisci sunt et vocantur Patres Capucini, qui licet prorsus unam eandemque cum franciscanis regulam ad litteram habeant, tamen aliam distinctam congregationem et corpus constituunt, aliumque generalem a generali totius ordinis franciscanorum distinctum habent; sunt diversi a franciscanis præcise in statutis particularibus accidentalibus, signanter in barba, quam nutriunt, et capucio, quod deferunt. Erat olim grandis, sed plane inutilis altercatio, franciscanos inter et capucinos de capucio, illis sanctum Franciscum formam capucii franciscanorum, istis vero suam capucii for-

mam gestasse contententibus. Verum cum nec ex regula, nec ex antiquo monumento de capucii determinata, specifica et constanti forma, quidquam probari posset, sancto Francisco ad hoc non multum attendente, sed modo hanc modo illam capucii formam, prout nempe quantitas mendicati, vel libere oblatis panis patiebatur, aut amor proprii contemptus dictabat, portante, hinc Alexander VII. speciali bulla inutilem hanc alterationem non tantum sustulit, sed insuper severissime prohibuit, ne quisquam in posterum dicere, multo minus sub imaginibus sancti Francisci in certa hac, vel illa capucii forma depictis scribere aut imprimere audeat, hanc esse veram imaginem et habitum sancti Francisci. Initium capucinatorum congregationis dederunt quidam patres ac fratres Franciscani regularis observantiae, qui amore solitudinis, ac vitæ eremiticæ accesserunt Clementem VII, Pontificem, ab eoque precibus impetrarunt, quod propriis assumptis statutis vitam eremiticam, seu contemplativam, ducere, barbam nutrire, capucium quadratum deferre, atque in congregationem suam alios suscipere potuerint, prout liquet ex ipsa dictæ congregationis confirmatoria Bulla Clementis VII. *Religionis zelus*, quæ est 21, dicti Pontificis apud Cherub. ibi. « Vos, qui olim fervore serviendi Altissimo ducti, ordinem fratrum minorum de observantia ingressi, in ea professionem emissi, per certum tempus permansistis. Et deinde vobis desiderantibus pro animarum vestrarum salute, ac Dei gloria, vitam eremiticam ducere et quantum patitur humana fragilitas, Regulam beati Francisci observare, etc. auctoritate apostolica facultatem concedimus ut secundum regulam prædictam, vitam eremiticam ducere, et habitum cum capucio quadrato gestare, omnes in vestrum consortium recipere, etc. barbam deferre, et ad eremiticam vos conferre, et in eis habitare, vitamque austeram et eremiticam inibi agere valeatis. » Ita verba bullæ editæ a dicto Clemente VII, anno 1528 a quo proin tempore legitimum initium habet ordo capucinatorum: qui tamen primitus vocabantur « Fratres de vita eremitica, » ut constat ex eadem bulla; postea vero tempore Pauli III. a capucio capucini fuere vocati, nomine hoc prius penitus ignoto, et nunquam audito. Cæterum, ut dictum, licet capucini verissimi sint filii Francisci, ejusque regulam pure observent, proprioque subsint generali,

nihilominus hic capucinatorum generalis nec sigillo totius ordinis sancti Francisci uti, nec absolute generalem totius ordinis sancti Francisci nominare se potest, sed cum addito generalis minorum sancti Francisci capucinatorum, soli generali Franciscanorum regularis, et strictæ observantiae facultate remanente, utendi sigillo totius ordinis, ac gaudenti titulo « Generalis totius ordinis sancti Francisci. »

53. *Conventuales qui olim, et qui nunc?* — Sub præfata regula etiam militant Patres conventuales ita tamen, ut eam non in suo rigore, et ad litteram, sed cum certis dispensationibus apostolicis observent, vi quarum a regulæ rigore in quibusdam exempti habere possunt bona immobilia, et dominium in communi, uti alii regulares. Cæterum nomen conventualium ab antiquo inde habent quod primis temporibus aliqui ex ordine sancti Francisci in locis solitariis ab aliis separati vixerint, alii vero in conventibus congregati Deo servierint, indeque ad distinctionem illorum conventuales fuerint appellati, in primis annis omnes æque ac existentes in eremis eandem sancti Francisci regulam ad litteram observantes (Et talis conventualis, seu Franciscanus in conventibus existens, regulam ad litteram observans fuit etiam sanctus Antonius de Padua, non vero talis conventualis, quales hodie sunt regulam non nisi dispensatam observantes). Verum successu temporis quidam conventus, et conventuales franciscani a primo rigore deflectere incoeperunt, quibus licet fortissime simul ac zelosissime se opposuerint reliqui conventuales regulam ad litteram zelantes, et observantes (inter quos fuit etiam sanctus Antonius) tamen efficere non potuere, quin aliqui saltem in suo proposito remanerent, et utin conscientia securi essent, relaxationis Indultum, et dispensationem a summo Pontifice Innocentio IV, anno 1244, impetrarent, retento nomine *Conventualium* dispensatorum reliquis in pura observantia Regulæ permanentibus, et præter distinctos superiores cum tempore etiam aliud nomen, præcipue vero *Fratrum Minorum de Observantia* assumptibus: tum ad distinctionem *Conventualium* dispensatorum: tum ad contestandum, quod in pura regulæ observatione hactenus permanserint, et in futurum permanere, sicque Franciscum serie non interrupta in capite et in membris regulam a Deo traditam continuo observantes sequi cogi-



tent. Id quod Leonem X. Pontificem Maximum juste permovit. ut soli generali *Fratrum Minorum Regularis Observantiae* sigillum totius ordinis competere, eumque solum verum serie non interrupta sancti Francisci in generalatu successorem totius ordinis sancti Francisci ministrum generalem esse, dici posse ac debere decreverit. Siquidem uti Patres capucini, ita et Patres conventuales moderni supremum suum caput non absolute generalem ordinis sancti Francisci, sed cum addito capucinorum, vel conventualium nominare possunt.

54. *Clarissarum origo.* — Rursus sub sancto Francisco militant etiam moniales clarissae, a sancta Clara sic dictae, servantes non quidem eandem cum fratribus minoribus, sed aliam a Francisco tamen institutam regulam quae postea spectata feminarum imbecillitate a nonnullis pontificibus, ut Gregorio XI, Innocentio IV, Alexandro IV, et Urbano VI, fuit moderata, praesertim quoad paupertatem in communi, quo non obstante strictissimam adhuc observant regulam, et clausuram.

55. *Tertiariorum ordo, regula et origo qui?* — Tandem sub eodem sanctissimo patriarcha Francisco militant etiam *Tertiarii*, a tertia regula sic nuncupati. Sciendum namque sanctum Franciscum tres instituisse ordines, sub tribus distinctis, ac diversis regulis. Primus fuit ordo fratrum minorum sub regula a Christo revelata, juxta dicta n. 47. Secundus fuit ordo pauperum monialium, pro quibus aliam specialem regulam fecit, eamque primo observanda tradidit sanctae Clarae, unde et sequaces ejus *Clarissae* dicuntur. Tertius fuit ordo tertiariorum tam pro viris quam feminis, tam solutis quam ligatis institutus. Siquidem sanctus Franciscus amore Dei et proximi flagrans, omnes ad viam salutis per media convenientia dirigere cum plurimum desideraret, simulque videret, rigidas primas duas, quas fratribus minoribus et clarissis posuit regulas, pro quolibet cuiusvis status homine minime quadrare, inspirante Patre Luminum invenit anno 1221, aliam sicque respectu praecedentium duarum tertiam regulam, quam quivis in quovis statu absque ullo impedimento facile servare, servandoque securius salvari posset. Hanc regulam plures summi Pontifices confirmarunt, simulque declararunt, viventes ea, non nudam congregationem, sed vere ac proprie ordinem constituere, quem multis a Sede apostolica canonizatis Sanctis per

quinque ferme jam saecula florentem plurimis privilegiis, ac Indulgentiis decorarunt iidem summi Pontifices. Vocatur autem hic ordo *Tertius* respectu duorum a sancto Francisco prius institutorum: sicut regula eorum dicitur *Tertia* respectu duarum aliarum praecedentium. Vocatur etiam alio nomine *Ordo poenitentium*, et viventes in eo, *Fratres*, et *Sorores de poenitentia*, eo quod poenitere, seu poenitentiam agere volentibus specialiter etiam a sancto Francisco fuerit intentus. Porro quamvis non omnes tertiarii, seu in tertio ordine existentes, Religiosi sint, ex defectu trium votorum substantialium, sunt tamen aliqui, iique plurimi tam viri, quam mulieres veri religiosi, illi nempe, qui emisit tribus votis in monasteriis degentes vivunt sub obedientia ministri generalis totius ordinis sancti Francisci. Plura, eaque praecleara de his tribus sub sancto Francisco, ejusque regula militantibus ordinibus vide apud Lucam Wadingum, Dominicum de Gubernatis, Roderiquez, Mirandam, et ordinis chronicam: ubi etiam ea invenies, quae de iisdem hactenus brevissime adduximus.

56. *Carthusianorum, jesuitarum et minimorum origo.* — Praeter enumeratas sub quatuor principalibus regulis militantes religiones sunt adhuc aliae, sed paucae, nullam ex praefatis regulis habentes, sed proprias constitutiones pro regulis observantes. Praecipui sunt celeberrimus Ordo Carthusianus institutus a sancto Brunone anno 1084, sub pontifice Gregorio VIII. Item sanctissima, ac Ecclesiae utilissima Societas Jesu instituta a sancto Ignatio Loyola, et confirmata a Paulo III, anno 1540. Ac tandem ordo minimorum institutus a sancto Francisco de Paula anno 1436, confirmatus a Sixto IV, anno 1473. Et haec pro brevi eruditione de ordinum diversitate et origine titulo huic de regularibus inserere consultum visum est. Plura de iis, qui desiderat, consulat Bordonum, Barbosam lib. I. *Juris Eccles. univ.* cap. xli. per totum, et alios ex professo integros tomos de iis scribentes.

57. *Utile semper fuit Ecclesiae in ea esse religiones.* — Quæritur III. Utrum expediens, et utile fuerit ac etiamnum Ecclesiae Dei, quod institutae in ea fuerint, et adhuc sint religiones, praesertim tot, et tam diversae? Resp. I. fuisse semper et etiamnum esse convenientissimum, et utilissimum Ecclesiae catholicae, quod in ea semper fuerint, et adhuc sint Religiones. Ita communissima

doctorum regularium, et aliorum. Patetque non tantum ex multiplici oraculo plurimorum Pontificum, sed et ex communi sensu fidelium. Ratio est; tum quia statum religionum juxta dicta n. 18. Christus ipse instituit, ad eumque apostolos, et alios saepius invitavit, quod non fecisset, si religiones Ecclesiae suae utiles esse non cognovisset; tum quia teste continua experientia religiosi suis meritis et precibus, exemplo et doctrina, zelo et labore, plurimum semper directe ac indirecte profuere, et adhuc prosunt Ecclesiae innumera eidem conferendo bona, gravissima ab eadem avertendo mala, adeo ut merito Christus ad sanctam Theresiam dixerit: *Vae mundo, si religiosi non essent.* Sane omnibus, nota est celeberrima illa visio, quam habuit Innocentius Papa III. qua vidit Lateranensem Ecclesiam (quae tunc erat Sedes Pontificum) convulsis fundamentis ruinae propinquam, et jam labentem, solis sancti Francisci suppositis humeris sustineri.

58. *Diversas.* — Resp. II. Fuit insuper Ecclesiae summe utile, ac expediens, non tantum quod plures, sed et quod variae institutae fuerint, et vigeant in ea religiones. Miranda, tom. I. q. 2; Hyacinth. Donatus, tom. IV, tract. I, q. 17; Pelliz., tract. I, cap. I, sect. 1, n. 1, et communis aliorum cum sancto Thoma 2. 2. q. 183. a. 2. et q. 188. a. 1. et seqq. quod iterum probatur ex communi sensu fidelium, et oraculis Pontificum, inter quos Gregorius XIII, in Bulla *Ascendente Domino*, ad propositum sic ait: « Cum divina providentia pro temporum necessitate varia et salutaria ordinum instituta in Ecclesia sua produxerit, novisque in ea subinde nocentibus morbis, nova remedia, novisque emergentibus hostium impugnationibus, nova regularium ordinum auxilia excitavit, et cuique illorum juxta cujuslibet peculiaris gratiae vocationem peculiare quaedam notas, peculiaria insignia et opportuna ad finem, quem intendunt, media suggesserit. » Ratio est, tum quia in Ecclesia Dei varia sunt ministeria, in quibus eam juvare possunt religiones; utique expediens erat, ut cum pro omnibus ministeriis una non sufficeret, plures diversi generis instituerentur, indeque plenitudinem ministrorum in omni genere ministerii praeberent; tum quia varia sunt ac diversa hominum genia, variae item propensiones ac inclinationes, nec eadem in omnibus vires, consequenter ex speciali Dei providentia plures diversae religiones salu-

berrime ac sapientissime sunt institutae, ut si una Religio alicujus propensioni, aut naturae non quadraret, alia pro desiderio ad manum haberetur. Nam, ut dicitur c. *Quo diversitatem*. §. *de Concess. praeb.* « Diversitatem corporum saepe sequitur animorum: » et juxta illud poetae.

*Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.*

Sed juxta sanctum Paulum ad Corinth. VII, 20: *Unusquisque in quo vocatus est, in hoc permaneat apud Deum*; tum quia ratione diversitatis in Ecclesia, religiosi magis fuerunt multiplicati, indeque numerus specialium servorum Dei, et utilissimorum Ecclesiae ministrorum fuit adauctus, cum teste experientia plurimae civitates, et loca, quae duo vel plura ejusdem religionis monasteria habere detrectant, plura diversae religionis monasteria ipsamet sollicitant. Hoc quadrat illud psalm. XLIV, 10: *Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* Per Regnam enim Ecclesiam, per varietatem autem, qua decoratur, varias religiones plures interpretes intelligunt.

59. *Religionum et religiosorum nimia multitudo vitanda.* — Fatendum nihilominus, nimiam et excessivam multitudinem, et varietatem religionum, ac religiosorum minus utilem, imo confusionis causativam, indeque merito vitandam esse, arg. c. un. *de Religios. domib.* in 6; ibi: « Religionum diversitatem nimiam, ne confusionem induceret, concilium generale vetuit, et ne quis de caetera novum ordinem, aut religionem inveniat, aut habitum novae religionis assumat. » Verba autem concilii generalis sunt illa c. fin. *de Religios. domib.*; ibi: « Ne nimia religionum diversitas gravamen in Ecclesia Dei, et confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de caetero novam religionem inveniat, sed quicumque ad religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat. » Pariter ne ipsorum religionum numerus nimium, et excessive augeatur, providentissimae simul ac prudentissimae factae sunt constitutiones a Clemente VIII, *Quoniam ad institutum*; Gregorio XV, *Cum alias*. et Urbano VIII, *Romanus Pontifex*, de quibus infra tit. *de Religios. domib.*

60. *Contemplativa religio est perfectior activa.* — Quæritur IV. Quenam religio inter tot et tantas sit perfectior? Resp. I. Religio profitens vitam contemplativam est perfectior religione habente vitam